



**Consilium delectorum Cardinalium, & aliorum praelatorum, de  
emendanda ecclesia. Epistola Ioannis Sturmii de eadem re, ad  
Cardinales caeterosq[ue] uiros ad eam consulationem  
delectos.**

<https://hdl.handle.net/1874/406597>

fle

3

# CONSILIVM

DELECTORVM CARDINALIVM

& aliorum Prælatorum, de emens  
danda Ecclesia.



EPISTOLA IOANNIS STVRMII DE

eadem re, ad Cardinales cæterosq; viros

ad eam consultationem

delectos.



M. D. XXXVIII.

CONSILIVM

RECTORVM CAROLINARVM

& aliorum Prætorum hęcum

duabus Hęcibus



IOHANNIS STARMI DE

causis ad Cardinalis consilium

ad consilium

debetur



M. D. XXXVII

# CONSILIVM

DELECTORVM CARDINALIVM ET  
aliorum Prælatorum, de emen-  
danda Ecclesia.



**B**EATISSIME PATER,  
Tantum abest, ut uerbis explica-  
re possimus, quàm magnas gra-  
tias Respublica Christiana Deo  
Opt. Max. agere debeat, quod  
te Pontificem hisce tēporibus,  
ac Pastorem gregi suo præfeca-  
rit, eamq; quā habes mentē de-

derit, ut minime speremus cogitatione eas, quas Deo  
gratias debet, consequi posse: nam spiritus ille Dei, quo  
uirus cœlorum firmata est, ut ait Propheta, labantem,  
imò ferè collapsam in præceps Ecclesiam Christi per te  
huic ruinæ manum, ut uidemus, supponere decreuit,  
eamq; erigere ad pristinam sublimitatem, decoriq; pristi-  
no restituere, certissimam diuinæ huius sententiæ con-  
iecturam nos facere ualemus, quibus Sanctitas tua ad se  
uocatis mandauit, ut nullius aut commodi tui, aut cu-  
iuspiam alterius habita ratione, tibi significaremus abu-  
sus illos, grauissimos uidelicet morbos, quibus iam pri-  
dem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Romana Cu-  
ria, quibus effectum propè est, ut paulatim ac sensim in-  
grauescens pestiferis his morbis magnam hanc rui-  
nam traxerit, quam uidemus. Et quoniam Sanctitas  
tua spiritu Dei erudita, qui, ut inquit Augustinus, loqui-

tar in cordibus nullo uerborum strepitu, probe nouerat principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coaceruauerunt sibi magistris ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inueniretur ratio, qua liceret id, quod liberet, inde effectum est, præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus: difficillimusque semper fuit aditus ueritatis ad aures Principum, quod confestim prodirent Doctores qui docerent Pontificem esse dominum beneficiorum omnium: ac ideo cum dominus iure uendat id quod suum est, necessario sequi, in Pont. non posse cadere Simoniam, ita quod uoluntas Pontificis qualiscumque ea fuerit, sit regula qua eius operationes ac actiones dirigantur: ex quo proculdubio efficitur, ut quicquid libeat, id etiam liceat.

Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Troiano irrupere in Ecclesiam Dei tota abusus, & tam grauissimi morbi, quibus nunc conspiciamus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, uel manasse harum rerum famam ad infideles usque. Credat Sanctitas uestra scientibus, qui ob hanc præcipue causam Christianam religionem derident adeo, ut per nos, per nos inquit, nosmen Christi blasphemetur inter gentes. Tu uero Sanctissime Pater, & uere sanctissime, edoctus à spiritu Dei, præter ueterem illam tuam prudentiam, cum totus in hac curam incubueris, ut sanatis egritudinibus Christi Ecclesia tuæ curæ commissæ, bonam ualitudinem recuperaret, uidisti, ac probe uidisti, inde incipiendam esse medicationem, unde primum ortus est morbus, secutusque doctrinam Apostoli Pauli, uis esse dispensator, non dominus, &

nos, & fidelis inueniri à Domino, imitatus etiam seruū  
illum, quem in Euangelio Dominus præfecit familiae  
suae, ut det illis in tempore tritici mensuram, ac propter  
reā decreuisti nolle quod non liceat, nec uis posse quod  
non debes. Ideoq; nos ad te accersuisti, imperitos quī  
dem ac tam magno negotio impares, non parum ta-  
men affectos cum honori & gloria Sanctitati tuæ, tum  
præcipue instaurationi Ecclesiae Christi, ac grauissimis  
uerbis iniunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, tibi-  
q; illos significarem, obtestatus nos reddituros esse  
rationem huius negotij nobis demandati Deo opti-  
mo, si negligēter ac infideliter ageremus. Atq; ut omnia  
liberius inter nos tractari possent, tibiq; à nobis explica-  
ri, iureiurādo nos destrinxisti, addita etiam excommu-  
nicationis pœna, ne cuiquam aliquid huius nostri mu-  
neris proderemus. Nos igitur tuo imperio parentes,  
collegimus quanto paucioribus fieri poterit, hos mor-  
bos, eorumq; remedia, ea inquam quæ pro tenuitate in-  
genij nostri excogitare potuimus. Tu uero pro tua boni-  
tate ac sapientia omnia refarcies ac perficies, in quibus  
pro tenuitate nostra offenderimus. Verū ut omnia cer-  
tis quibusdam finibus cōplectamur, cum Sanctitas tua,  
& sit princeps prouinciarū harum quæ subsunt ditioni  
Ecclesiasticæ, & sit Pontifex uniuersalis Ecclesiae, sit etiā  
Episcopus Romanus, nihil nobis dicēdum sumpsimus  
de his quæ pertinet ad hunc principatū Ecclesiae, quem  
tua prudentia optimę regi uidemus, tangemus tantum  
ea quæ pertinent ad officium uniuersalis Pontifici, &  
nonnulla quæ sunt Romani Episcopi. Illud uero ante  
omnia Beatissime Pater putamus statuendum esse, ut  
dicit Aristotēles in Polit. sicut in unaquaq; Repub. ita &

in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges seruentur. Nec putemus nobis licere dispensare in legibus nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namq; perniciosior consuetudo in quavis Repub. induci potest, quàm hac legum inobseruantia, quas sanctas maiores nostri esse uoluerunt, earumq; potestatem uenerandam, & diuinam appellarunt. Scis tu hæc omnia Optime Pont. legisti iam pridem apud Philosophos, & Theologos, illud uero nõ tantum huic proximum, sed longe prius & potius superiore putamus, non licere Pont. & Christi Vicario in usu potestatis clauium, potestatis inquit à Christo ei collatæ, lucrum aliquod comparare. Hoc etenim est Christi mandatum: Gratis accepistis, gratis date. His primum statutis, cum Sanctitas uestra ita gerat curam Ecclesiæ Christi, ut ministros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autem sunt Clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, Presbyteri præsertim, & maxime Curati, & præ omnibus Episcopi. Idcirco si gubernatio hæc sit recte processura, primo danda est opera, ut hi ministri idonei sint muneri quo fungi debent.

Primus abusus in hac parte est ordinatio Clericorum, & præsertim Presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla adhibetur diligentia, quod passim quicumq; sint imperitissimi, sint uilissimo genere orti, sint malis moribus ornati, sint adolescentes, admittantur ad ordines sacros, & maxime ad presbyteratû, ad characterem inquam Christum maxime exprimentem, hinc innumera scandala, hinc contemptus Ordinis Ecclesiastici, hinc diuini cultus ueneratio non tantû diminuta, sed

sed etiam prope iam extincta. Ideo putamus optimum fore, si Sanctitas tua primo in hac urbe præficeret huic negotio duos aut tres Prelatos, viros doctos & probos, qui Ordinationibus clericorum præessent, iniungeret etiam Episcopis omnibus, adhibitis etiam pœnis censurarum, ut id curarēt in suis diocessibus. Nec permittat Sanctitas uestra, ut quispiam ordinetur, nisi ab Episcopo suo, uel cum licentiâ deuatorum in Vrbe, aut Episcopi sui: insuper ut in Ecclesijs suis quisq; Episcopus magistrum habeat, à quo clerici minores, & literis & moribus instruantur, ut iura præcipiunt.

Abusus alius maximi ponderis est in collatione beneficiorum Ecclesiasticorum, maxime curatorum, & præ omnibus Episcopatuū, in quibus usus inualuit, ut prouideatur personis quibus cōferuntur beneficia, non autem regi Christi & Ecclesiæ. Ideo in conferendis his beneficijs curatis inquam, sed præ alijs Episcopatibus curandum est, ut conferantur uiris bonis doctisq;: ideo ut per se possint fungi illis muneribus, ad quæ tenentur, insuper illis, quos uerisimile est residentiam facturos, non ergo Italo conferendum est beneficium in Hispania, aut in Britannia, aut econtra, hoc seruandum est tam in collationibus cum uacant per decessum, quàm in cessionibus, in quibus nunc tantum habetur ratio uoluntatis cedentis, nullius præterea rei in cessionibus; his si quispiam præficeretur probus unus plures uē, bene factum iri putaremus.

Alius abusus, cum beneficia conferuntur seu cum ceduntur alijs, irrepsit in constituendis super eorum fructibus pensionibus, imò quandoq; cedens beneficio omnes sibi fructus reseruat. Qua in re illud est animaduertendum



uertendum, nulla alia de causa, nulloq; alio iure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus, & indigentibus concedi debent. Nam reditus sunt annexi beneficio, ut corpus animæ: ideo sua natura pertinent ad eum qui beneficium habet, ut possit ex eis uiuere honeste pro suo ordine, simulq; queat sustinere impensas pro diuino cultu, & templi sacramentumq; ædium reparationem, & quod reliquum est impendat in pios usus. Hæc est enim natura eorum reddituum. Verum sicuti in rerum naturæ administratione nonnulla fiunt à natura uniuersali præter inclinationem uniuersalis naturæ, Sic in Pontifice, qui est uniuersalis dispensator bonorum Ecclesiæ, si uiderit eam fructuum portionem, quæ in pios usus expédi debet, aut eius partem in pium quempiã alium usum, ut expendatur magis expedire, potest proculdubio id facere. Ideo iure merito pensionem ponere potest, ut subueniat egeno, præsertim Clerico, ut honeste queat uitam ducere, pro eiusdem ordine. Ideo omnes fructus reseruati, adimiq; id omne, quod diuino cultui sustentationiq; habentis beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itemq; pensiones dari Clericis diuitibus, qui commode & honeste uiuere queunt ex redditibus quos habent, magnus certe abusus, tollendus uterq;.

Alius item abusus in permutationibus beneficiorum quæ fiunt cum pactioibus, quæ Simoniacæ omnes sunt, nulloq; respectu habito nisi lucri.

Abusus alius omnino auferendus, qui calliditate quædam nonnullorum peritorum iam inualuit in hac Curia, nam cum lege cautum sit, beneficia testamento legari non posse, cum non sint testatoris, sed Ecclesiæ, & ut res hæc

res hæc Ecclesiastica seruarietur cōmunis bonorū omniū, non autem fieret priuata cuiuspiam: inuenit humana, non tamen Christiana industria plurimos modos, quibus huic legi illudatur. Nam fiunt renunciaciones Episcopatum, aliorumq; beneficiorum, primo cum re gressu, addunt reservationem fructuum, addunt reservationem collationis beneficiorum. Insuper cumulant reservationem administrationis, faciuntq; hoc pacto Episcopum, qui nullum ius habet Episcopi: alterum uero, cuiura omnia Episcopi competant, non tamen Episcopum: Videat Sanctitas tua, quō processit assentatoria illa doctrina, qua tandem effectum est, ut id liceat quod libeat. Quid quæso est hoc, nisi hæredem beneficij sibi constituere: Alius præter hunc inuentus est dolus, cum scilicet coadiutores dantur Episcopis perentibus, minus idonei quàm ipsi sint, ita ut, nisi quispiam claudere oculos uoluerit, liquido uideat hæredem ea ratione institui.

Item lex est antiqua instaurata à Clemente, ne filij presbyterorum habeant parentum beneficia, ne scilicet res communis hoc modo fiat priuata. Dispensatur tamen, ut audimus, in hac ueneranda lege. Nolumus tacere id quod uerissimum esse quouis prudens per se iudicauerit, nullam rem magis constasse hanc inuidiam Clericis, undè tot seditiones sunt ortæ, & aliæ instant, quã hanc auersionem commodorum & prouentuum Ecclesiasticorū à communi ad rem priuatã, ante hac omnes sperabant, nunc in desperationem adducti acunt linguas contra hanc sedem.

Alius abusus est in expectatiuis & reservationibus beneficiorum, quibus & datur occasio, ut aliena mors desideretur, & libenter audiatur. Precludunt etiam aditum

B      supremum

supremum dignioribus cum uacant, dant licibus cau-  
sam. Omnes has putamus tollendas esse.

Abusus alius est eadem calliditate inuētus. Nam quæ-  
dam beneficia incompatibilia iure sunt, et appellantur,  
quæ ex ipsa uel nominis maiores nostri admonere nos  
uoluerunt, nō deberi ea uni conferri, nunc in his dispen-  
satur, non tantum duobus, sed pluribus, & quod peius  
est, in Episcopatibus: Hunc morē qui ob auaricam tan-  
tum inualuit, tollendum ducimus, præferim in Episco-  
patibus. Quid de unionibus beneficiorū ad uitā unius,  
ne scilicet obster illa beneficiorū pluralitas ad obtinen-  
da incompatibilia, nonne est mera fraus legis?

Alius etiam abusus inualuit, ut Reuerendiss. Card.  
Episcopatus conferuntur seu commendentur, nō unus  
tantum, sed plures, quē Pater Beatissime putamus ma-  
gni esse momenti in Ecclesia Dei, primo quidem, quia  
officium Cardinalatus, & officium Episcopi incompati-  
bilia sunt. Nam Card. est assistere Sanct. tuæ, in guberna-  
nanda uniuersali Ecclesia. Officium autem Episcopi est,  
pascere gregem suum, quod præstare bene, nec ut debet  
potest, nisi habitet cum ouibus suis, ut pastor cū grege.

Præterea Pater Sanct. hic usus maxime obest exem-  
plo. Quomodo namq; hæc Sancta Sedes poterit dirige-  
re & corrigere aliorum abusus, si in præcipuis suis mem-  
bris abusus tolerātur? nec ob id q̄ Cardinales sunt, puta-  
mus eis magis licere transgredi legem, imò lōge minus.  
Horum enim uita debet esse alijs lex: nec imitandi sunt  
Pharisæi, qui dicunt & non faciunt, sed Christus Salua-  
tor noster incepit facere, & postea docere. Amplius hic  
usus nocet in consultationibus Ecclesiæ, nam hæc licen-  
tia fomentum est auariciæ. Ambiant præterea Card. a  
Regibus

Regibus & Principibus Episcopatus, à quibus postea de-  
pendent, nec possunt libere sententiam dicere, imò si  
possent & uellent, fallerentur tamen passione animi in  
iudicando perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur,  
& prouideretur Card. ut possent honeste pro dignitate  
uiuere, omnibus æquales redditus, quod putamus faci-  
le fieri posse, si uellemus abijcere seruitutem Mammo-  
næ, & Christo tantum seruire.

His castigatis quæ pertinent ad constituendos tibi mi-  
nistros, quibus ueluti instrumentis & cultus Dei bene  
administrari, & populus Christianus in uita Christiana  
bene institui & regi possit, accedendum nobis est ad illa,  
quæ spectant ad gubernationem Christiani populi. In  
qua re Pater Beatissime abusus ille primo & præ omni-  
bus corrigendus est, ne scilicet Episcopi primum, & præ  
omnibus alijs, deinde ne Curati abessent à suis Ecclesijs  
& Parochijs, nisi ob grauem aliquam causam, sed residen-  
tiam facerent, maxime Episcopi, ut diximus, quia sunt  
sponsi Ecclesie ipsi demandatæ. Nam per Deum immor-  
talem, quis miserabilior uiro Christiano cõspectus esse  
potest Christianum orbem peragranti, quàm hæc solitudo  
Ecclesiarum: Omnes ferè pastores recesserunt à suis gre-  
gibus, commissi sunt omnes ferè mercenarijs. Impos-  
sibilia ergo esset magna pœna Episcopis præ alijs, dein-  
de Curatis qui absunt à suis gregibus, non tantum censu-  
rarum, sed etiam ne reciperent redditus illi qui absunt,  
nisi impetrata licentia, à tua Sanctitate Episcopi, Curati  
ab Episcopis suis, per breue aliquod temporis spacium.  
Legantur in hoc aliqua Iura, aliquorum Conciliorum de-  
creta, quibus cautum erat, Episcopo non licere abesse à  
sua Ecclesia, nisi tribus tantum Dominicis.

Abusus etiam est, quod tot Reuerendiss. Card. absint ab hac Curia, nec aliqua in parte faciant quidpiam eius officij quod spectat ad Cardinales. Ideo & si fortasse non omnes, quia expedire existimamus nonnullos habitare in prouincijs suis, nam per illos tanquam per rades quosdam in totum orbem Christianum sparsas continentur populi sub hac Romana Sede, plurimos tamen esset Sanctitatis tue uocare ad Curiam, ut hic residerent. Hac enim ratione praeterquam quod fungerentur officio suo Card. prouideretur etiam amplitudini Curiae, supplereturque si quid ei detractum fuisset per recessum multorum Episcoporum, qui ad suas Ecclesias se contulissent.

Alius abusus magnus, & minime tolerandus, quo uniuersus populus Christianus scandalizatur, est ex impedimento quae inferuntur Episcopis in gubernatione suarum ouium, maxime in puniendis sceleratis, & corrigendis. Nam primo multis uis eximunt se mali homines, praesertim Clerici, a iurisdictione sui Ordinarij: deinde si non sunt exempti, confugiunt statim ad potentiam, uel ad Datariam, ubi confestim inueniunt uitam impunitam, & quod peius est, ob pecuniam praestitam: hoc scandalum Beatissime Pater tantopere conturbat Christianum populum, ut non queat uerbis explicari. Tollantur, obtestamur Sanctitatem tuam per sanguinem Christi, quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamque lauit eodem sanguine: tollantur haec maculae, quibus si daretur quispiam aditus in quacumque hominum Reipublica aut regno, confestim, aut paulo post in praecipitum rueret, nulloque pacto diutius constare posset: & tamen putamus nobis licere, ut per nos in Christianam Rempublicam inducantur haec monstra.

Alius

Alius abusus corrigendus est in Ordinibus religiosorum, quod adeo multi deformati sunt, ut magno sint scandalo secularibus, exemploq; plurimum noceant. Conuētuales Ordines abolēdos esse putamus omnes, non tamen ut alicui fiat iniuria, sed prohibendo ne nos possint admittere. Sic enim sine ullius iniuria cito deleberentur, & boni religiosi eis substitui possent. Nunc uero putamus optimum fore, si omnes pueri, qui non sunt professi, ab eorum monasterijs repellerentur.

Hoc etiam animaduertendum & corrigendum censemus, in prædicatoribus & confessoribus constituendis à fratribus, quod ab eorum præfectis primum adhiberetur magna diligentia, ut idonei essent, deinde ut præsentarentur Episcopis, quibus præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata, à quibus examinarentur perse, uel per uiros idoneos, nec nisi eorum consensu admitterentur ad hæc peragenda.

Diximus Beatissime Pater, non licere aliquo pacto in usu clauium aliquid lucri utenti comparari, est in hac re firmum uerbum Christi: Gratis accepistis, gratis date. Hoc non tantum ad Sanctitatem tuam pertinet, sed ad omnes qui sunt participes huius potestatis, ideo à legatis & nuncijs uellemus idem seruari. Nam sicut usus qui nunc inualuit, dedecorat hanc Sedem, & conturbat populum, ita si fieret e contra, maximum decus huic Sedi compararetur, & ædificaretur mirifice populus.

Abusus alius turbat Christianum populum in Monialibus, quæ sunt sub cura fratrum conuētualium, ubi in plerisque monasterijs fiunt publica sacrilegia cum maximo omnium scandalo. Auferat ergo Sanctitas uestra

omnem eam curam à conuentualibus, eamq; der aut  
Ordinarijs, aut alijs, pro ut melius uidebitur.

Abusus magnus & perniciosus est in gymnasijs publi-  
cis, presertim in Italia, in quibus multi philosophiæ pro-  
fessores impietatem docent, imò in templis fiunt dispu-  
tationes impijssimæ: & si quæ sunt piæ, tractantur in eis  
res diuinæ, coram populo ualde irreuerenter, ideo pu-  
taremus indicendum Episcopis, ubi sunt publica gym-  
nasia, ut per eos admoneret Lectores, qui legunt, ne do-  
cerent adolescentes impietatem, sed ostenderent infir-  
mitatem luminis naturalis in quæstionibus pertinenti-  
bus ad Deum, ad mundi nouitatem, uel æternitatem,  
& similia, eosq; ad pietatem dirigerent. Similiter ne per-  
mitteret fieri publicas disputationes de huiusmodi que-  
stionibus, neq; etiam de rebus Theologicis, quæ certe  
multum existimationis perdunt apud uulgos, sed pri-  
uatim de his rebus fiant disputationes, publicæ de alijs  
quæstionibus Physicis. Idemq; iniungendū esset omni-  
bus alijs Episcopis maxime insignium ciuitatū, in quibus  
huius generis disputationes fieri solent. In Impres-  
sione etiam librorum eadem adhibenda esset diligenti-  
tia, scribendumq; Principibus omnibus, ut caueant ne  
passim quouis libri in eorū ditione imprimantur. Dan-  
daq; esset huius rei cura Ordinarijs. Et quoniam pueris  
in ludis solent nunc legi Colloquia Erasmi, in quibus  
multa sunt, quæ rudes animos informant ad impietate-  
m, ideo eorum lectio in ludis literarijs prohibenda  
esset, & si qua alia sunt huius ordinis.

Post hæc quæ ad instituendos ministros tuos in hac  
uniuersalis Ecclesiæ cura, & in eius deinde administra-  
tione spectare uidentur, animaduertendū est in Gratijs,  
quæ

*Colloquia Erasmi  
qualia.*

quæ sunt à tua Beatitudine, præter priores abusus, alios quoque abusus introductos esse.

Primus est in fratribus seu religiosis apostatis, qui post uotum solenne à sua religione recedunt, impetrantque, ne teneantur gerere habitum sui Ordinis, imo nec uestigium habitus, sed tantum uestem honestam Clericalem, præmittamus nunc de lucro. Iam enim diximus in principio, non licere ex usu clauium, & potestatis à Christo tradite comparare sibi lucrum, sed etiam ab hac gratia abstinendum. Nam habitus est signum professionis, unde nec ab Episcopo potest dimitti, cui tenentur hi Apostate, ideo hæc gratia eis concedi non deberet, neque etiam cum ipsi recesserint à uoto, quo Deo se obligarant eis permittatur, ut habeant beneficia, neque administrationes.

Alius abusus in Quæstuarijs Sancti Spiritus, Sancti Antonij, alijsque huius generis, qui decipiunt rusticos & simplices, eosque innumeris superstitionibus implicant, tollendos hos quæstuarios censemus.

Abusus alius in dispensatione cum constituto in sacris Ordinibus, ut possit uxorem ducere, hæc dispensatio non esset ulli danda, nisi pro conseruatione populi cuiuspiam, uel gentis, ubi esset publica causa grauissima, præsertim his temporibus, in quibus urgent Lutherani hanc rem maxime.

Abusus in dispensatione in nuptijs inter consanguineos, seu affines, certe in secundo gradu non putamus faciendam esse, nisi ob publicam causam grauem. In alijs uero gradibus, non nisi ob causam honestam, & absque pecunia, et diximus, nisi iam prius coniuncti essent, ubi liceret pro absolutione à peccato iam perpetrato imponi multa pecuniaria, post absolutionem, & deputari ad  
pios



pius usus, in quibus facit Sanctitas tua impensas. Nam sicut ubi non est peccatum in usu clauium, nihil exigi potest pecunie, ita ubi absolutio petitur à peccato, imponi multa pecuniaria potest, & deputari ad pios usus.

Abusus alius in absolutione Simoniaci, proh dolor quantum in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium, adeo ut quidam non ueretur Simoniam committere, deinde confestim petunt absolutionem à pœna, imò eam emunt, sicq; retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse pœnam illam quæ est de iure positiuo constituta eis condonare, sed quòd nullo pacto debeat, ut tanto scelere resisteret, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.

Licentia etiam testandi Clericis de bonis Ecclesie non esset danda, nisi pro causa urgente, ne bona pauperum conuerterentur in priuatas delicias & amplificationes domorum.

Confessionalia autem cum usu altaris portatilis non essent facile danda, sic enim uilescent Ecclesiasticæ res, & Sacramentum omnium præcipuum. Nec indulgentiæ, item dandæ essent, nisi semel in anno in unaquaque insignium ciuitatum. Cõmutatio etiam uotorum neq; ita facile facienda, neq; commutanda, præterq; in æquiualens bonum.

Consueuere etiam mutari uoluntates ultimæ testatorum, qui ad pias causas legant quampiam pecuniæ summam, quam autoritate Sanctitatis tuæ transferunt ad hæredem uel legatarium ob præsentam paupertatē &c. idq; ob lucrum certe, nisi facta sit magna mutatio in re familiari hæredis per obitum testatoris, ita quòd uentilem sit, testatorem ob eam mutationem mutaturum fuisse

fuisse uoluntatem. Voluntates testatorum mutari, im-  
pium est: de lucro iam toties diximus, quare putamus  
omnino abstinendum.

Omnibus in summa explicatis quæ pertinent ad uni-  
uersalis Ecclesiæ Pontificem, quantum animo potui-  
mus comprehendere, restat ut nonnulla dicamus quæ  
pertinent ad Romanum Episcopum. Hæc Romana ci-  
uitas & Ecclesia, mater est & magistra aliarum Ecclesia-  
rum. Ideo maxime in ea uigere debet diuinus cultus &  
morū honestas: ideo Beatissime Pater scandalizantur  
omnes exteri, qui ingrediuntur templum Beatissimi Pe-  
tri, ubi sacerdotes quidam sordidi, ignari, induci para-  
ste uti possent, Missas celebrant: hoc magnū est omni-  
bus scandalum: ideo iniungendū est Reuerendissimo  
Archipræsbytero, uel Reuerendissimo Pœnitentiario,  
ut hæc curent, & amoueant hoc scandalum, sicq̃ in alijs  
Ecclesijs.

In hac etiam Vrbe meretrices ut matronæ incedunt  
per Urbem, seu mula uehuntur, quas affectantur de me-  
dia die nobiles familiares Card. Clericiq̃. Nulla in urbe  
uidimus hanc corruptionem, præterquam in hac omni-  
um exemplari, habitant etiam insignes ædes: corrigen-  
das etiam hic turpis abusus.

Sunt etiam in hac Vrbe priuatorum ciuim odia, &  
inimicitia, quas componere, & ciues conciliare præ-  
cipue interest Episcopi, ideo per Cardinales quosdam  
Rom. præsertim qui magis essent idonei, omnes hæc ini-  
micitiæ cõponendæ essent, & ciuim animi conciliandi.

Sunt in hac Vrbe hospitalia, sunt pupilli, sunt uiduæ,  
harum cura maxime pertinet ad Episcopum & ad Prin-  
cipem.

tripem; ideo Sanctitas tua per Cardinales viros probos  
posset etiam commode hac omnia curare.

Hæc sunt Beatissime Pater, quæ in præsentia pro te  
nitate ingenij nostri colligenda esse duximus, & quæ  
nobis corrigenda viderentur. Tu vero pro tua bonitate  
& sapientia omnia moderabere, nos certe si non rei ma-  
gnitudini, quæ nostras vires longe superat, conscientia  
tamen nostræ satisfecimus, non sine magna spe, ut sub  
te Principe uideamus Ecclesiam Dei purgatam, formo-  
sam, ut columbam sibi cõcordem in unum corpus con-  
sentientem, cum æterna tui nominis memoria. Sampli-  
tibi tibi nomen Pauli, imitaberis speramus charitatẽ Pau-  
li: electus fuit ille ut uas quod deferret nomen Christi  
per gentes: te uero speramus electũ, ut nomen iam Christi  
oblitum à gentibus & à nobis Clericis, restituas, in  
cordibus & in operibus nostris ægritudines sanes, oves  
Christi in unum ouile reducas, amoueasq; à nobis iram  
Dei, & ultionem eam quam meremur, iam paratã, iam  
cernicibus nostris imminentem.

Gaspar Card. Contarenus.

Ioh. Petrus Card. Theatinus.

Iacobus Card. Sadoletus.

Reginaldus Card. Anglicus.

Federicus Arch. Solernitanus.

Hieronimus Arch. Brundusinus.

Ioh. Matthæus Episcopus Veronensis.

Gregorius Abbas sancti Georgij Venet.

Frater Thomas magister sacri Palatii.

Ioannes

# IOANNES

STVRMIVS CARDINALIBVS

ceterisque Prælati delectis

S. P. D.



VAE PONTIFICIS IVSSV  
Contarene de religionis instau-  
ratione statuistis, ea superiore  
mense ad nos allata, varias ho-  
minum uoces excitarūt. Et quan-  
quam ad uos pertinere non arbi-  
tror, quid quisq; de uestris ratio-  
nibus sentiat, nihil enim in suo  
genere ita perfectum est, ut omni

bus placeat: tamen nisi uestrorum factorum ratio ho-  
minibus eruditis atq; studiosis constet, nullo conuentu  
id quod optatis uos consecuturos puto, ut Ecclesiæ pri-  
stinam dignitatem restituatis. Nam cū sita sint omnia  
in optimorum consiliorum ratione, quam uos pro ue-  
stra prudentia cum uultis facile potestis prouidere, ta-  
men nisi eodem uitorum doctorum comprobatio acce-  
dat, nunquam uos homines eam uiam quam requirūt,  
ingressos esse cogitabunt. Quamobrem cum in illis lo-  
cis uerfer, ubi permulti sunt, qui de uestris consilijs sam-  
ma cum prudentia iudicant: & cum mihi non obscu-  
ræ sint illorum sententiæ, cogitauī breuiter eas ad uos  
esse perscribendas, quo quid probent, quid repræhen-  
dant, quid aliter instituendum sentiant, uideretis. Mul-  
ti enim iam spem aliquam in uestra doctrina, uestroq;  
iudicio repositam habent, quos etiam hoc nouum

C 2 atq;

atq; inauditum Pontificis cōsilium, in cogitationes meliores aliqua ratione inducit, ut existimēt posse aliquando æquioribus conditionibus inter nos cōuenire. Nam dum antehac clausæ essent ueritati Pontificum aures, eademq; paterent adulatoribus, nullus locus medicinæ concessus est: nunc uero cum exitit tandem Pontifex qui eiusmodi conquirat, inter quos aliqui tales sunt, qui adulari non consueuerunt, qui mentiri non possunt, & quos usus doctrinaq; plurima docuit: aut remedia tam pestiferis uestræ Ecclesiæ morbis inuenientur, aut ipsa iam multis labefactata malis, necesse est uniuersa collabatur. Qui ante uos religioni Præfuerunt, nullum in exitum uoluerunt agnoscere, cuius Pontifices authores extitissent: is error à uobis tandem sublatus est, qui non solum magnam partem malorū indicatis, & occasum Ecclesiæ prædicitis, uerum etiā in Pontificibus eam causam constituisse fatemini: qui adulatorum uoculas secuti, dominos se legum esse putarunt. Hæc oratio gratissima est nostris hominibus, propterea quod qua diligentia perspectæ uobis sunt calamitates, quibus affecta atq; afflictæ Ecclesia magnas ruinas tempestatesq; nisi resistatis, uidetur editura, eadem uos impendentibus malis occururos sperant. Rara res est, & præter omnium opinionem oblata occasio, Pontificem datum orbi terrarum, qui iureiurando fidem suorum sibi ad patefaciendam ueritatē astrinxerit, uel si quid secus statuatis quam religio desideret, uobis ea culpa, non Pontifici præstanda uideatur. Itaq; uos qui ad rem tam præclaram, tamq; necessariam delecti estis, etiā atq; etiā eniti atq; elaborare debetis, ut quod instituitis, perficiatis: & quoniam huius Pontificis ascensionē mandatumq; tenetis, neq;

neq; intermitti, neq; inturbari rem tantam patiamis  
ni. Si hic incolumis maneat, si eadem uoluntas erit, si ues  
rum est quod scribitis, nihil nobis ad maximas comodi  
tates deerit, si mutabit consilium, tamen uideris expedi  
tam ad uituperationem uiam patefactam, si per uos ta  
lis tantaq; spes de Ecclesia Christi tollatur. Quod enim  
salutare orbi est, & cuius semel à Pontifice uobis effici  
endi potestas est facta, id sine summo dedecore negligi  
à uobis non potest. Quamobrem dum eius, cuius sum  
ma potestas hoc tempore est, uoluntas finit, dum idem  
uiuit, instandum uobis est atq; urgendum, ut uestra in  
dustria, fide, prudentia, uirtute, inclinata iam & prope  
collapsa religio rursus erigatur. Si uero propter affecta  
iam aetatem auferatur, tamen uobis eiusmodi nunc  
fundamenta iacienda sunt, ut qui post creabuntur, sine  
summo scelere rem tantam negligere non possint, ut  
quam primum licebit optimorum uirosum arbitrato,  
de uniuersa Ecclesiae curatione deliberetur. Habebitis  
in his laboribus adiutores multos & principes uiros, &  
populos, per quos iusta poterit fieri conuocatio, qui ad  
libertatem iudiciorum non ad seruitutem adulandi opem  
feret, quod in primis nostris moribus est necessarium.  
Perijt enim omnis conciliorum autoritas, dum illa  
Pontificum libidine, non religionis studio sunt habita,  
& ad illa non hi qui libere ad coetus uicia proferre uel  
lent, sed quos sibi illi tum Pontifices deuicissent sunt  
conuocati. Quomodo his se Pontifex, quorum liberta  
tem omnem ademit, quorum uoluntates & suffragati  
ones praemijs atq; promissis comparauit, corrigendum  
dabit. Itaq; recte uobis uisum est non debere liberum  
solutumq; legibus esse Pontificem, neq; licere ei quodlibet,

sed quod licet id demum ei libere debere, in eoq; ma-  
gnam laudem apud nostros obtinuistis, quod uos pri-  
mi inter eos extitistis, in uestro ordine, qui hoc ausi sine  
pronunciare, easdem leges Pontifici, & comprobadas  
& colendas esse, quibus Ecclesiam uelit obtemperare.

Etiā quod huic finitimum est prudentissime statu-  
istis: nō esse dominatum qui committitur Pontifici, sed  
curationem talem, qua Ecclesiarum munera suis ordi-  
nibus dispenset, atq; distribuatur. Itaq; curatorem esse, nō  
dominum tantarum rerum: & sese sic Ecclesie eius pru-  
dentia, fidei, diligentia commiserunt, ut nulla sit ibi di-  
ctio, atq; potestas soluta legibus, nulla dominatio, nullū  
regnum, unde potestas comparetur, aut cōmandan-  
tarum, aut uiolandarum legum. Si uos hoc admittitis, si  
hoc nobis cōceditis, sublata inter nos est maxima pars  
controuersia, atq; illud largiemini, non defuisse nobis  
iustissimas causas dissentendi. Primum enim si fate-  
mini dispensationem solam esse quæ mandat Pontifi-  
ci, nonne illud etiā sentitis, ceteros Magistratus omnes  
Ecclesiasticos, nihil aliud esse nisi ministros diuina-  
rum curationum, ut si bono sit Ecclesie eorum adminis-  
ratio, si salutaris, si consentiēs legibus retineantur, si inu-  
tilis, si perniciosa, si contra leges, auferatur ab illis eius-  
modi honor, quemadmodum multis in locis sacris le-  
gibus iussum est.

Quamobrem recte etiā illud addidistis sanctas esse  
perpetuasq; leges, neq; ullius posse Pontificis aut priuile-  
gio, aut calumnia, aut indulgentia tolli. Si enim illud  
permisum esset, quid usquam esset sanctū, quid tutum  
ab omni libidine atq; flagitio. Videmus enim dum sibi  
hoc superioribus annis Pontifices arrogarunt, quanta  
fenestra

fenestra fuerit aperta ad Tyrannidem, ad perniciem religionis. Nunc dum leges retinentur, manebit illud ut illi constituentur, proficianturq; populo Dei, de quorū doctrina, & uitę innocentia, & fide, diligentięq; constet. Ut enim fructus copiosi aliquando colligantur, idoneo populo tanq; subactō fundo est opus, qui tum demum recte excolitur, cum uerus adhibetur colonus, in quo sit scientia, & studium & mens pura, sine quibus neq; populus recte doceri, neq; Ecclesia florere, neq; auctoritas ulla comparari potest.

Iam quam preclarū illud est, quod scribitis de Simoniacis, quorū numerus tantus hodie est, ut si uestra sententia uim habeat, si ut leges uolunt illi amoueātur, qui gratia, qui precio inuaserunt Ecclesiastica munera, sitis plurimas, & maximas maculas, quę turpissime iniustę religioni sunt, deleuri. Tum summę essent oportunitates perueniendi ad id, quod uultis, ut idonei constituerentur ministri, qui legitime creati essent, in quibus esset sapientia, qui adessent apud populum suum presentes, qui omnia suscipere illa, quę D. Paulus, quę S. Concilia, quę maiores nostri sancierunt.

Hęc sunt quę sanctissime à nobis deliberata, animos bonis, qui hic sunt uiris, addiderunt, ad sperandum. Nihil enim nouum est, exortos esse in uestro ordinē, qui libere iudicent. In conuentu Nurembergensi Adrianus Pontifex similia quedam agnouit, & cum eius summā uellent esse auctoritatē, tamen permulti fuerūt reliquorum ordinū, qui ob talem confessionē indignarentur. Quid hoc aliud est q̄ impunitatē flagitiorū Pontificibus cōcedere & auferre confessionē, & cum liceat quod uis scelus designare, tamen fateri sine scelere non posse Pontificem.



Pontificem. Quo mihi magis appellandi estis Contar-  
ne, & tu Sadolete, & tu Federice Salernitane, uosq; qui  
ad rem tantam delecti estis, quo diligenter in hanc rem  
incumbatis, atq; sic statuatis, in manu uestra datam esse  
hoc tempore Ecclesie uestrae & salutem & dignitatem.  
At si diligenter & cum fide agatis, uestra uirtute, floren-  
tem Christi Remp. conspiciamus, si negligenter & cu-  
pide, ut cuius rei adhuc reliquiae nonnullae supersunt,  
illae continuo ita tollantur, simul ac calumniari ac male  
agere ceperitis, ut ne uestigia quidem ullius sanctitatis  
apud uestras quidem partes posteris nostris appareant.

Sed quoniam quae placent, indicaui, iam quae requi-  
rant uidete. Atq; in hoc loco quaedam omittam, quae tam-  
etsi ad disceptandum necessaria sunt, tamen quoniam  
deprauata consuetudine recepta sunt, dissimulabo, si ta-  
men dissimulatur, quod in tacita, perpetuaq; cogitatio-  
ne defixum manet. Nam quid argumenti aut rationis  
habet, quod Pontificem uniuersale appellatis. D. Grego-  
rius homo uehemens & acer in amplificando, Pon-  
tificatum, hanc uocem ut Antichristi repudiavit, quae  
ratio ceteros quoq; xx. mouit, qui ante Gregorium sus-  
erunt, ut concessum id nomen tributumq; a Synodo  
Calcedonensi tamen recusarint. Sed relinquamus dis-  
putationem hanc inuidiosam, & permittamus hanc  
uobis appellationem, duntaxat id quod decet, uelitis,  
& uestra potentia uestraq; studia ad gloriam Christi co-  
honestanda couertantur. Tyrannis nobis obstat quam  
hoc nomine in Ecclesiam inducitis, uim secum & per-  
niciem hic titulus adfert, ideoq; qui uirtute praediti sunt,  
qui mala providere possunt, tandem sublatam pestife-  
ram huius rei occasionem uolunt. Hac causa Pelagium  
atq;

atq; Gregorium mouit, ut quod reclamantibus uiris bonis, captatis, id sibi ultro oblatum repudiarint.

Sed anguntur uehementer multorum animi, quod in uestro consilio nulla usquam mentio de doctrina religionis fiat, cuius oportebat primam rationem haberi.

Nam ut de illa loquamur, quis populus est, quæ ciuitas, quæ uero coacta est aliqua multitudo per uestram ditionem, quæ recte informetur. Nusquam apparet maiorem, quæ recte alienatio, quàm in ignoratione Euangelij, quæ tanta fuit, ut non solum populus ipse quid sacris literis contineretur ignoraret, uerum hæc quoq; inscitia inter Episcopos in uestro Contarene ordine ita uersata est, ut nostra tempora Pontifices uiderint, ignaros literarum sacrarum, & imperitos omnino religionis. Nam ut de Innocentio Octauo & alijs multis nihil dicam, cedo Sadolete, quoniam tu eum mirifice laudas, quæ doctrina, quod studium sacrarum literarum in Clemente fuit, tu ne illis qui norunt probare possis, mitto cognouisse, sed cogitasse unquam, ut quæ illa scripta habent, quibus nostra religio nititur, & quæ nobis diuinitus data sunt, uel legeret ipse, uel sibi explicari curaret. Credo ego neque, neque quenq; ex his quibus coniunctus fuit, meminisse aliquod tempus fuisse, quo secū Clemens ad cognoscendum curaret circumferri diuinos libros. Dum imperitiā celamus, dum falsa testimonia damus, dū placere studemus, uidemur assentiri uitijs, & pessima exempla excitemus, & id efficimus, ut qui insequuntur, existiment in se quoq; ferri posse, quod nostris mendacijs in Clemente, atq; eius generis hominibus obscuramus. Nolo nominare cæteros uestri ordinis sædos & imperitos homines, uerū debebat uos illa clara atq; domestica exēpla co-

D      hortari

*Dist. 99. lib.*

*Epist. 4. Epis*

*stolis 32. 34.*

*38.*

hortari, ut rationem doctrinæ saltem aliquã habere-  
tis. Neq; enim ignorare uos existimo, quã necessaria sit  
eius cognitio. Nam si uoce uiua excitatur animus ad fra-  
duciam Christi, & si mens ipsa confidens nitensq; Chri-  
sto, ad pietatem & agendum inflammatur, ibi necesse  
est, omne genus uitiorum uersari, ubi nulla uox diuinis  
sententijs informata percipitur, ibi necesse est ignoretur  
Christus, ubi eius beneficia factaq; tacita iacent, id quod  
fit, ubicunque sese uestra ditio atq; potestas explicauit.  
Quid tam uanum est, quã Erasmi Colloquia & scola-  
sticas disputationes tollere, & illam scœdã, impiam atq;  
inueteratam consuetudinẽ relinquere, & pro sacris nau-  
gas docere. Sed non eò hæc dico, quod probem nos-  
trum disputandi morem, aut quod putem absq; Dialo-  
gis Erasmi non posse consistere studia. Habent nostror-  
um temporum scholæ permulta quæ corrigi debent, &  
eloquentiæ & sapientiæ & Theologiæ doctrina sine  
cuiusmodi dicendi genere teneri potest, sed id mihi do-  
let, res maximas, atq; omnino necessarias à uobis præ-  
teriti, dum in paruis & humilibus occupati estis. Quan-  
quam id ueremur non propter ea quæ moribus obsunt  
à uobis de scholis deijci colloquia, sed quod aliqua quæ  
apud uos iure reprehendi possunt, notent, idcirco uos  
mortui Erasmi scripta ferre non posse, quæ quamdiu in  
uita esset, comprobastis, aut quod nunc facitis, non con-  
nati estis reprehendere. Sed ut omittamus hæc, illud  
certe tenendum est, cum in tenuibus illis rebus cogita-  
tionem ponitis, etiam considerare debetis, per Galliam  
& Italiam negligi Euangelium, doceri fabulas, & religio-  
nis ignorantiam, summam excusationem habere.  
Quis enim non uidet, quã sint omnia ex ueris in falsa  
commu-

commutata: Nam quid potest ibi sincerū dici, ubi pro religione superstitio, pro diuina sapientia hominū philosophia, pro Christo Socrates, pro sacris Scriptoribus Aristoteles atq; Plato in Ecclesiam irruerunt. Neq; hec ita intelligi uelim, quasi reprehendam Philosophiæ studium, habet enim ista doctrina multas commoditates: sed sic se res habet, ut nisi diuinitatis cognitio præmonstratrix sit, mens ipsa hominis errans & uaga ad loca spionosa deuiatq; deducatur. Cum enim animus sibi nō constet, cum ignoratio offusa est, quænam pars Ecclesiæ officium suum poterit præstare?

Hæc uos animaduertere oportebat, atq; cogitare, animis recte informatis facilem fore restitutionem earum rerum, quas nobis ingeniorum sceditas & inscitia diuinarum rerum ademit. Neq; enim uideo quomodo hæc uestra ratio defendi possit, nisi illud cogitetis quod alii qui sperant, constitutis legitime ueris ministris, restitui quoq; doctrinam, cuius mentionem sine magnis offensionibus in uestro consilio facere nō potuistis. Sed si hoc est, ut uos qui iurati estis, qui principatum tenetis, non possitis sine metu de re maximopere necessaria libere sentire, propter alienationem eorum quibus summa rerum commissa est, quæ spes esse poterit in hoc dominatu & regno, ueretur atq; Ecclesiasticæ disciplinæ? Ex his necesse est unum aliquod esse: uel uobis odiosa est ueritas, ideoq; dissimulastis, uel metu nō protulistis, eamq; per ministros obducitis, uel nihil de illa cogitastis. Si nihil huiusmodi cogitasse diceris, nō credemus: si odisse, condemnabitis uos ipsos: si timore dissimulasse, dolebitis, nunquam per potentiam & tyrannidem licere ueritati in solem & lucem prodire. Certe aut uobis ipsis ue-

ritas odiosa est, aut illis formidolosa, quos uos propter  
accepta beneficia & inueteratam potentiam ueremini.  
Non enim potest ignorari, nouit uniuersus orbis subla-  
tum esse ex Ecclesijs uestris Euangelium. Hoc sibi resti-  
tui homines uolunt, & hoc tandem uobis reclamanti-  
bus obtinebunt. Nullam amplius hic uim habent uestre  
minæ, custodię, pœnę, flammę, patefacta sunt mala, pro-  
cul ostensa bona, à quibus si omnes gentes abarcere con-  
nemini, non cum hominibus, sed cum Deo, cum Chris-  
to, cuius nomine tantas opes & facultates possidetis,  
bellum uobis est suscipiendum. Nostri nullum maius  
argumentū uestri occasus habent, q̄ tam uanas spes op-  
primendæ ueritatis, qui per uim potius quàm commu-  
nibus consilijs & legitima disceptatione, & per Regum  
opem atq; iniuriam magis quàm ueteri disciplina aucto-  
ritatem putatis retinere. Nisi proterue & scelerose agen-  
do, non concitabitis in uos tanta hominum studia, que  
ad uestrâ potentiâ opprimendâ satis magnas sunt uires  
habitura. Utinam hæc falso aueremur, & aliquando  
concordia fieret consiliorum, & ad pacē potius & trans-  
quillam emendationem, quàm ad uim atq; arma spes  
staretur.

Obsecro te Contarene, te Theatine, te Sadolete, te  
Friderice, per uestram doctrinam, prudentiam, indu-  
striam, uirtutem, uos obtestor, respicite eas calamitates  
omnes, quibus afflictâ est Christi Respublica, & ad hanc  
rem æquitatem, quæ in rebus exacerbatis necessaria est,  
adhibite. Tu Sadolete, in Dialogis tuis multa de nobis  
falso dicis: & nisi te ignorance magis & uana perlua-  
sione q̄ iudicio fecisse cogitarem, non uideo quomo-  
do uiris bonis factum tuū excusare possis. Non agnosce-  
mus

mas quæ nobis obijcis, testes sunt omnes qui recte indi-  
cant, remota esse à tuis criminibus nostra studia, si hanc  
opinionem ad istud iudicium adfers, & nostra prius quàm  
legeris condemnas, non possumus tibi eas quas cupi-  
mus uirtutes, æquitatem, doctrinã, fidem, pietatem tri-  
buere. Rapit me rei indignitas, & perturbat, ut acerbius  
quàm proposui scribam. Sed amica hæc de Christi rep-  
commonitio est, non hostilis de iure aliquo priuatæ rei  
concertatio. Nõ de opibus pugnamus, quas nunquam  
uobis inuidimus, non contendimus, ut uos non sitis,  
non certamus, ut uestra potètia nulla sit, cupimus in Ec-  
clesia manere autoritatẽ, & id elaboramus, ut si omnia  
amittamus, tamen retineamus in populo Dei Euãgelij  
doctrinam, ut qui hæredes cum Christo sunt uolunta-  
tem patris cognoscant, ut quod quibus pater liberos ue-  
lit tenere, quæ scilicet extrema sua fuerit sentètia, idem  
Deo patri nostro & Christo domino nostro permittam-  
us, ut quæ diuina uoce notata sunt, nobisquẽ relicta, &  
quibus quasi hereditariæ possessionis testamentũ con-  
tinetur, omnes quibus illa possessio promissa est, dece-  
antur. Itaque doctrinæ curam in uobis uiri boni requirunt,  
qui per quam ipsi facti sunt meliores, eam etiam cæteris  
pernecessariam esse putant. Deinde ut si opes, si poten-  
tiam retinere uultis, eas ita retineatis, ut ad amplificati-  
onem religionis, & ad gloriam Christi conuertatis.

Iam de Sacramentis & de ceremonijs, quid dicendũ  
existimatis, an non horum usus maximopere conspur-  
catus est: at illi defœdationi remedium nullum inue-  
niendum putastis, & siletis quæsi sana sit hæc pars reli-  
gionis. Nam ut de Eucharistia loquamur, nonne simul  
cum nomine usum peruertistis. Cum enim ad erigendas

in spem atq; fidem animos instituta sit corporis Christi  
communio, & non nisi participantis prodest, uos inde so-  
litarium priuatumq; opus effecistis, aut certe permisistis  
tantum sacerdotum auaritia, ut ex gratuita communicatione  
mercenarium opus, & quasi uenalem intercessionem  
erigerent, & eo cuius nos pudeat, uentum sit, ut magis  
illa insana actione, quam Christi morte niti, pleriq; o-  
mnes uideantur. Illud etiam conceditur, ut etiam si uite  
genus non corrigatur, si à sceleribus non abstineant, tamen  
crederetur per illos sanctificatos mercenarios uenia  
posse impetrari. Et quo maior esset conscelerati illius in-  
stituti auctoritas, etiam solam auscultationem putant  
magnum pondus habere, ad placandum in designatis  
flagitijs, quæ iam animo susceperunt, iram pœnamq;  
Dei. Et nos hunc abusum silentio atq; re ipsa comproba-  
mus, qui contra Christi institutionem, contra Apostolo-  
rum & maiorum nostrorum consuetudinem, contra le-  
gum uerba uoluntatemq; in Ecclesiâ irrepsit. Atq; ut se-  
ro id homines animaduertent, introductus nobis à  
Dei hoste in Italorum, Gallorum, Germanorum, Hispa-  
norum cœtus, sermo latinus est, qui sepe numero non solum  
à circumstanti turba, sed ne ab ipsis quidem sacerdoti-  
bus, hominibus operarijs ac barbaris intelligitur, solum  
ipsi edunt, quod multis comunicandum erat, mors do-  
mini nostri, & uere domini non denūciatur, pauorem  
tantum & consternationem animarum adferunt, non ut  
elaboratur, ut fides promissis diuinis habeatur, non ut  
spes recordatione Christi augeatur, ut charitas excite-  
tur, sed ut ueluti prestigijs quibusdam à uero iudicio rui-  
dis populus depellatur.

Ac quemadmodum tam sollemnis rei usus deformatus est,

tus est, ita etiam ceterarum ceremoniarum ratio est per-  
uerfa, ut imaginum quæ cum ad recordandum constitu-  
tæ essent, nos in cultum cõmutauimus, ut quas princi-  
pio homines tantum intuebantur, nũc ante easdem in  
genua delabantur, orent, obtestentur. Ossa concinnaui-  
mus, sepulchra ereximus, ligna inuenimus, ante quæ  
animi colendo polluerentur. Non tam prope uani fue-  
runt Aegyptij in sua religione, quàm nos quibus certa  
ratio est prescripta. Quia cum temporibus uoluntatem  
Dei cõmutari opinamur, putamus nos signa sculpta, fu-  
sa pictaq; posse erigere, & D. Christophorum sanctiorẽ  
quàm fuerit Abraham, aut Iosue nobis ipsi finximus,  
& ita constituimus, quod Iudæis non licet, ut Moysen  
tanq; Deum colant, id nobis licere, ut ante statuam Da-  
miani incuruis corporibus in genua cõsidamus. Parum  
honoris opinamur eis haberi, si ad illorũ recordationẽ  
gemitus & lachrymas præbeamus, neq; satis sit cupidi-  
tibus nostris, nisi deuotiones & pecuniarum donati-  
ones, & hæreditatum assignationes, ad eam immani-  
tatem adiungantur.

Quid de indulgentijs uestris inauditum ea in re uo-  
cabulum est, res etiã ipsa ficta & uana est. Quid de illa  
ratione quam pœnitentibus præscribitis, nonne falsa,  
nonne peruerfa, nonne ad quæstum magis & ad tyran-  
nidem quàm ad uitæ emendationem, & correctionem  
spectans? Et qui remedia contra hos morbos querunt,  
eos uos ex Ecclesia eijciendos putatis, & condemnatis  
hæreseos, qui restituere pristinam puritatẽ religioni cõ-  
nantur, eos illam tollere, qui ceremonias purgare, eos  
profligare, qui autoritatem Ecclesiasticam recuperare,  
atq; confirmare, eos imminuere & labefactare clamatis,  
Vtinam



Vtinam sub oculos cadere possint & nostra studia & ue-  
stra cogitationes & neq; enim unq; assensionem carera-  
rum nationum obtinebimus, anteq; eò indignitas ue-  
strorum factorum deducatur, ut iam non amplius intel-  
ligi, sed oculis quasi cerni uideatur. Quid enim aliud  
agitis, quam ut specie correctionis, assequamini, quod  
optatis, ut a pud gentes aliquot fractam uestram immo-  
nem autoritatē per uim recuperetis, & eos tollatis, quo-  
rum industria & fides, & constātia, & pietas uestris stu-  
dijs obstat, qui facile circumueniri possent, si eiuscemo-  
di conciliū quale fuit Constantiense, conuocari possit.  
Non mirantur homines, esse quādam in uestra delibe-  
ratione, quæ simplicitatem atq; religionem indicant,  
obscurāda enim flagitia sunt, uirtutis imagine, sed illud  
dolent, ceremonias uos inanes requirere, & docendi ra-  
tionem contaminatam oppressamq; relinquere. Quid  
hoc est, si non est ornamenta quādam in uiciato solo cō-  
parare, quasdam etiam excrecentes ramulos tollere, ra-  
dices relinquere, plantationem meliorem, & irrigatione-  
nem, & culturam fundi negligere. Quantulum enim il-  
lud est, aut quo pertinet, quod de religiosorum uestitu  
constituistis? Quod apud maiores nostros in summa  
uituperatione fuit, habitu religionem profiteri, id uos  
uestra prudentia audetis renocare. Qui autores fuerunt  
talis uitæ, quomodo uos, aut cui hominū generi proba-  
re potestis, eos colore, figuraq; uestimentorū religiones  
distinxisse. An non diserte illæ fixæ monachorum, quæ  
Augustino, Frācisco, Benedicto tribuantur regulæ uetāt  
notabiles esse uestiū formas in religione solitaria, quā  
in uita & moribus, non in indumentis ponunt. Perinde  
uestræ ceremoniæ Deo gratæ sunt, atq; Christo fuerunt  
Iudæorum

*Distinct. 41.*

Iudæorum ieiunia. O crudelitatem deuotionū, in quibus cum se semel aut falsa superstitione, aut imprudētia homines deuinxerūt, nulla deinceps spes est euadendi ex eo ergastulo, in quod quoniam inconsiderate illa: psumus est aliquis, libertatem omnem amisit, neq; eo redire potest, ad quod natus, à Deoq; uocatus uidetur, & quo maiores uberioresq; commoditates in Rempubli- cam Christianam potest importare. Quod enim uesti- gium uerorum monachorum, de quibus Augustinus atque Chrysostomus scribunt, post uestras coactas & cum uita perpetuatas deuotiones est relictum: Quos Deus in conciones & ad docendum populum uocat, eos uos inter ociosorum hominum septa includitis: qui in Senatu patriæ recte consulere possunt, & ad id na- ti factiq; uidentur, illis uos Rempub. spoliatis. Quibus ingenij acumen, amorem, industriam, ad doctrinā con- sequendam natura concessit, eos uos cum illis coniun- gitis, apud quos literarum studia neq; coluntur, neque amantur, neq; doctores ullos habent. At maiores no- strita instituerunt hanc uitam, ut ciuitatibus utilis esset, ut inde ad Respub. accederent, quo eas recte & sancte cu- rare possent: sanctimoniam enim uitæ esse uoluerunt, non perpetuitatem solitudinis. Utinam nobis per uos redderetur usus cœnobiolorum, quàm florentes Respub. uideremus, quanta copia ingeniorum existeret, quàm facile hanc raritatem bonorum atque doctorum uitare possemus. Nihil uobis ad summam tranquillitatem atq; scelicitatem deest, præter uoluntatem honestissimorum consiliorum. Sed cum duæ res sint, quæ in omni nego- cio nimiam magnam habent, hæ contra uos ambæ in hac disceptatione faciunt, perspecta ueritas, & laudata uita.

E Non

Non enim ea viuendi ratio quam uos instituitis, sublatum tantum sacerdotum matrimonio, in hac sceditate libidine commendari potest. Etenim ineptum est, & ratione caret, quod de eo constituitis. Primam enim ut placita postremorum Pontificum conseruetis, Apostolorum instituta, & Niceni conuentus uoluntatem auferatis uiolare. Deinde tametsi post Niceni concilij tempora nouis legibus ablatae sint ab Ecclesiastico ordine uxores, tamen retinuerunt ius suum antiquum aliquae gentes, & quod natura requirit, & quod coluerunt maiores nostri, id a se ut eriperetur pati noluerunt. Tandem Gregorius septimus exortus est, qui per uim, maximis concitatis offensionibus, coniugium sustulit. Melius igitur & sanctius Pius secundus matrimonium olim graues ob causas ablatum sacerdotibus dixit, hoc uero rempore grauioribus esse eiusdem restituendi. Huius sententiam sequi uos oportebat, & rectius consulere Pontifici. Videtis enim quantum malorum inde habeamus, & quales maculas Ecclesiae, sacerdotum impudicae effeminationeque uoluptates inusserint, quarum obliuisci homines non possunt, tolli tamen haec si per uos liceret, approbantibus bonis, restitutaque pristina consuetudine, possunt.

Hec sunt, quae in uestra consultatione nostros, quibus religio maximae curae est, in contrarias cogitationes trahunt. Nam quod Pontificem non dominum, sed dispensatorem, curatoremque statuitis, quod legum canonicas firmas perpetuasque esse uultis, quod Simoniam tollitis, quod ministros idoneos requiritis, uehementer approbant, optantque uos id uere cogitare. Metuunt enim qui omnia diligentius intuentur, quoniam doctrinae rationem ualidam habetis, quoniam usum sacramentorum peruersum esse

esse finitis, quoniam in rebus partim leuibus, partim falsis occupati estis, & solliciti estis, de uestimentorum genere, de sacerdotum connubijs, non uos cogitare, qua ratione recte Ecclesia corrigi atq; emendari possit, sed quauia eos possitis tollere, qui uestram potentiam infringere conantur:

Deinde cū singula hec seorsum posita sunt, aut uana, aut falsa, aut impia uidentur, tum etiam cōiuncta simul eiusmodi rationē cōstituunt, quę nostris temporibus obtineri non potest. Neq; in re, neq; in hominum natura positum est, quod instituitis. Frustra suscipitis, illis iudicibus, Ecclesię correctionem. Nam cum uultis autoritatem esse, illorum principum uitorum quos iam fert Ecclesia, & quasi leges antiquę florere minus possent, quā possunt in hoc tempore, quid sperandū est posse recte decerni? Sunt enim aliqui partim successione maximarum rerum, partim Regum Principumq; uitorum beneficijs, ita opibus atque facultatibus amplificati, ita moribus & uita corrupti, ut uestram correctionem sustinere non possint, tollere, quoniam eorum uultis esse & iudicium & autoritatem, possint. Non mirabunt hi institutam recepramq; in consuetudinem uiuendi rationem: non finit auaricia, non patitur ambitio, non permittunt ceterę cupiditates, quas nisi cū uita aut per uim nemo omnium est qui uel auferet, uel coercet.

Itaq; nisi ueros iudices conceditis, qui ad ipsum consilium ueritatem libertatemq; non uim adferre cupiūt, non restituetis nobis Ecclesię commoditates. Ut Synagoga emendationem Christus nō sacerdotibus & Pharisæis, sed Apostolis & suis ministris commisit: & ut maiores nostri religionem non Græcorum aut Romanorū

sacerdotum Collegijs mandarunt, uerum his qui ut di-  
uina imbuti atq; confirmati erant: sic uos illis qui Eccle-  
siastica dignitate ad honestatem ac salutem uti, non qui  
ad dedecus & perniciem abuti uolunt, Rempub. Chri-  
sti, ut uestro facitis consilio, cōmittere debetis. Eos enim  
qui eadem quæ monuerunt & uicia notarunt, eijcitis de  
uestra Ecclesia, quorum uero uitam corrigendam puta-  
tis, eos arbitros iudicesq; cōstituitis. Nonne hoc est an-  
nosos & uitiosos ramos relinquere, & meliorē stirpem  
in meliore solo subnascentem, non sinere propagari.  
Sed non hæc ita dicta uelim, quasi nihil sit apud uos ue-  
ri, aut quod nulli sint à uobis, quibus chara sit religio,  
sed quod illorum uultis esse auctoritatem, quibus si legū  
canones florerent, si Simonia sublata esset, si tantum cer-  
ti & ueri administri constituerentur, genus uitę cum mo-  
ribus esset commutandum. Decessit è uita homo uestri  
loci, sed auarus, & crudelis, & indoctus, Leodiensium  
Episcopus: habetis talia monstra multa (nolo enim no-  
minare qui uiuunt, de Leodiensi quia id notum est, di-  
co) si illis potestatem facietis statuendi quod sentiant,  
aut non admittent quod ponitis, aut decernent contra-  
ria. Itaq; frustra suscepta uobis hæc cōsultatio est, & se ho-  
mines in uanam spem erigi metuunt, nisi hoc iudicium  
genus reiiciatur, & illi sumantur, quibus publica salus  
charior est, quàm commoditates domesticæ.

Sed iam eō ueniamus, ubi de Episcopo Romano pre-  
cipitis. Tria enim uultis esse in Pontifice: ut sit Pontifex  
uniuersalis, ut Episcopus Romanus, ut Princeps, & cer-  
tarum Rerumpub. dominus. Atq; ex his tribus Episco-  
patum Romanum ultro concedimus, nam id eius pri-  
mum munus apud maiores fuit, & solum fuit, cum uere  
doctrina

doctrina Christi floreret, cetera sunt aduenticia, & contra consuetudinem Apostolorum, arrogata. Sed cum multi corrigenda sint in uestro cœtu, quarum queso rerum cōmonetis Pontificem, nihil de doctrine descœdatione scribitis, nihil de ambitioe, nihil de corruptis uiciatisq; moribus, nihil de illis quorū cōmemoratio turpissima, & cogitatio tristissima, maximas offensiones parat. Preter illam meretriciam uitam, de sacerdotū indumentis solum cōquesti estis, quibus in sacris curationibus utuntur, de illius Sacramenti deprauata consuetudine nihil commonuistis. Si id Romæ permittitis, quid apud eas gentes sit, qui nomen uestrum solum uerentur, uoce uestra propter locorum interualla, & uestram negligentiam informari non possunt. Quid de alijs rebus cogitandum est, si in maxima & necessaria sitis negligentes. Quod enim institutum, non cogitatum ab hominibus, sed diuinitus acceptum, nō temporarium, sed inde ab initio sacrosanctum, non emptum, non hominum officio comparatū, non temeritate ad res alias deducendum, uerum datum, tributum, ad certum finem prescriptū est, id nos nostris artibus cōmutauimus, & in fallacē sucosamq; mercem cōuertimus, & eos qui in partem uenire uolunt, nundinari cogimus, atq; ita nundinari, ut credant illud ad eluendas animorum maculas, & ad conscientiaē angorem & solitudinem tollendam esse satis. Sed accidit in hac re quod ceteris omnibus quæ sunt optima, ut citissime contaminētur. Nam quoniam illa sub oculos ipsa non cadunt, & cogitatione solum cōprehenduntur, facillime hæc falsa persuasione quam multitudo, & ætas & consuetudo adfert, impeditur. Si ut ignis corporis partibus cum dolore percipitur,

pitur, ita etiã res diuinã, & diuina uoluntas animo senti-  
turi possit, causa esset, quam obrem ageremus ociose. Ne-  
mo enim nisi in cruciatu clamaret, sed quoniã mentis  
acumine, industria, diligentiaq; opus est, turpissime fit à  
nobis, quod quasi nulla pars corporis Christi ægroret,  
quoniã dolor non animaduertitur, negligentes sumus,  
& indicatis à uiris bonis atq; peritis morbis, medicina  
neq; querimus neq; admittimus. In uestro consilio ulce-  
ra quẽdã ostenditis, & membrorũ, sine quibus uita ma-  
nere non potest, uitia nõ notatis: neq; animaduertitis  
sanguinem Ecclesiã, & Christi corporis corruptũ esse,  
iecur contaminatum esse, cor atq; cerebrũ languescere,  
pulmones esse uiciosos. Vt enim hoc humanũ recepta-  
culum sine sanguine, & iecore, & corde, & pulmone  
consistere non potest, ita etiã religio una cum recto usu,  
cum doctrina, cum ueris cõsilijs, cum idoneis ministris  
amittitur. Hęc enim quatuor sunt quę in uobis requiri-  
mus, si ceremoniarum usum talem, qui Christi instituta-  
tis non sit contrarius, restitueris, si cognitionem Euan-  
gelij liberam permittetis, si legitimos conuentus conce-  
ditis, si aptos curatores dabitis, coniungemus Ecclesias  
nostras, deponemus offensiones, & obliuiscemur que-  
relarum.

Falso enim illud cogitatis, tolli à nobis ceremonias,  
sed cum uideremus plerasq; cum impietate consocia-  
tas esse, necessarias retinuimus, impias abrogauimus,  
de ceterarũ correctione & confirmatione deliberamus.  
Credo enim & certo scio maiorem apud nos & Eucha-  
ristiã & Bap̃tismo reuerentiam adhiberi, quam in illis  
locis ubi uestra adhuc cõsuetudo ualet. Festi etiam dies  
eiusmodi habent instituta ocia, ut cum uestris laudat  
biliter

biliter comparari possint. Et quoniam hæc omnia non solum apud exterarum nationes, uerum etiam Romæ, & in ipsa Pontificis ara cõspurcata sunt, uestri officij est, hæc emendanda proponere.

Sed hæc de Episcopo Romano, cur de principis persona quam nominatis, nihil decernitis? Vnde illud ius habet occupandi Respub. qua lege Roma, Rauenna, Bononia, cæteræq; ciuitates Pontificibus obuenerunt, qua ratione saltem probabili Imperij ditio imminuta est. Viduis & pupillis præesse, & conseruare horum facultates sanctissimum officium est, at canones uerant clericos tutoris aut procuratoris munus suscipere, & in re cætero quin necessaria distringi. Quod in priuatis resbus non sinunt leges, id uos in publicis usurpatis, à quibus uos illæ ipsæ leges claris uerbis abarcent, nec concedunt eundem & Ecclesiam curare, & ad Rempub. accedere. Si leges non præscriberent, tamen quoniam in re atq; natura positum non est, ut unus multis negotijs, & diuisissimis locis præesse possit, debebatis pro uestra prudentia cõsulere Pontifici, ut quo difficilior esset tantarum ciuitatum administratio, eo maiorem curam adhiberet in illis populis instantiq; religionis. Nondum enim ex multorum animis memoria discessit, quæ bella, quales cædes, cuiusmodi uastationes inde natae sint, quæ Pontifices Regna, ciuitatesq; occuparent. Illæ maculae, pia administratione, & uera religione delendæ essent, si integram uelletis esse Pontificis autoritatem. Non satis est, habere uos Reges, qui pro uestra potentia propugnent, qui ut regnetis efficiant, & eam uobis uim retinere possint, nisi illa quæ profitemini curetis, nisi uitam ciuitatibus à uobis profligatam restituatis, nisi uitam  
talis.



talis sit, qualem Christus, maioresq; nostri requirunt, nisi uitis bonis consilia uestra probetis, nisi alijs sacrificiationibus, quam illis quas uos habetis Deum placetis, futurum breui est, ut etiam eorum consensu, qui iam à uobis stant, deſiciamini. Non ita inuisum Lutheri nomen facere potestis, ut illa calumnia in lucem producta ueritas obscuretur. Cum animaduertent homines, non pro illis facere ueritatem, quibus sacrarum literarum cognitio obstat, ad eos aliquando confugient, qui absq; his, propter inueteratam pessimamq; cōsuetudinem, nunc stare uix possunt.

Exposui breuiter, quid in uestra deliberatione probent, & quid reprehendent hi qui iudicare de religione possunt, nunc quæ desiderent ad recte deliberandū exponam. Primum, ut ad perfectionē operis, & ad absolutam emendationem atq; correctionem firma fundamenta ponantur, ueræq; habeantur radices, quæ in doctrina & recta cognitione diuinarum literarum reconduntur. De hac cōmonefaciendus, & docendus Pontifex erat. Est enim omnino deprauata. Vbiq; enim nulli sunt Euangelij doctores, ibi mens ipsa erigi, & fidem diuinis promissis habere non potest. At sine hac, salus tollitur uniuersa. Quoniam igitur plus apud uos possunt, diuorum cœlestiū merita, quam uox Christi, sacerdotum fallaces ceremoniæ, quam supplicationes ueræ, Pontificum indulgentiæ & absolutio, quam Dei promissio, temporarius status corporis cruciatus, quā perpetua uitæ correctio, constabit neq; religionem rectā doceri in uestris Ecclesijs, neq; cogitationum, Christi q; fiduciā stabilē esse, neq; salutem posse comparari. Doctrina per aures ad animum delabitur, idem etiam per  
cerimonia

ceremonias tanquam per conspicua uerba, quemadmo-  
dum sentit Augustinus, duci ad rectā uiam potest, utraq;  
etiam hæc in Ecclesijs necessaria sunt, sed cum contami-  
nata docendi ratio est, cum deprauatæ ceremoniæ, qua  
si labefactatis fundamentis, nulla poterit ibi esse substru-  
ctio, nulla perfecta cõdificatio. Sunt enim ut doctrina,  
sic ceremoniæ quædam necessariæ, quædã utiles: sed si ui-  
tiantur, si nõ recte adhibeantur, magnas incõmoditates  
adferunt, sepe etiã religiõis integritatē ad perniciē uocare

Video quàm sit difficile istud à uestris ho- (solent-  
minibus impetrari: nam cū semel peruersa mens est, &  
uite genus cum professione pietatis pugnat, non potest  
quædam gratior est uitæ ratio, per illos amissa pietas resti-  
tui. Sed quod ab his concedi nõ potest, id Deus requirit,  
id religio desiderat, & extorquendū est ab inuitis, quod  
ultra debebat permittere. Non enim posthac dissimula-  
ri potest, multo iam maxima pars hominum intelligit,  
frustra Christum diuinitus missum, & nostræ carni in-  
clusum, uitam mortalem amisisse, & ad immortalem  
transisse, si sacrificacionibus, & actionibus ordinatis, &  
distributis ceremonijs, & nostris uiribus partē cœlestis  
domicilij consequi possimus. Adimantus apud Plato-  
nem nouit, sola iusticia Deum placare posse, hanc uero  
neminem omnium recte colere posse, nisi qui nouit De-  
um esse, nostrarum rerum curam gerere, & uerū nostrarum  
rerum iudicem esse, neq; sacrificia respicere, sed ani-  
morum integritatem considerare. Itaq; reiiciendum il-  
lud esse *ἀδικητέου, ἢ θυτέου ἐκ τῆ ἀδικημάτων*. Quod  
homines ignari diuinarum legum, naturæ bonitate ad-  
iuti notarunt atq; uere intellexerunt, id nos nõ animad-  
uertimus, animo male informato, neq; amorem, neque

F reueren-

reuerentiam erga Deum esse posse, quæ duo cum nõ ad  
sunt, non sacificationes, non ullæ ceremoniæ uim aliã  
quam ad salutem adferunt. Vbi uero diuinitatis cogni-  
tio est, ibi mentis ardor, uerusq; cultus excitatur, & ani-  
mus ipse domitus atq; condocefactus, nihil concupiscit  
quod Dei placitis sit contrarium, uerum ad eius uolun-  
tatem omnes actiones atq; consilia commutat. Neque  
enim usquam illa Stoicorum ἀπάθεια sedem habere po-  
test, nisi in homine Christiano, cuius mens & uoluntas  
diuinitus docta, Deoq; deuota, nihil instituit, quod ma-  
culam aliquam possit aspergere. Sed hoc Stoici confis-  
derant esse debere, consequi uero, quia Deum nõ no-  
uere, nõ potuerunt. Nam cum natura nihil in nobis sit  
quod non sit contaminatum, nascimur enim ad omne  
genus cupiditatum inclinati, nisi Christus nobis ostens-  
datur, nisi ille indicetur, per quem salutem à Deo accipi-  
mus, necesse est nostras cogitationes scopulosas esse, no-  
straq; studia ad nostras utilitates, non ad Dei sensum &  
gloriam conferri. Hicigitur docendus est, à quo nobis  
pax atq; uenia datur, qui solus humanum genus à pecca-  
torum scelerumq; pœna liberare potuit, & liberauit.

Itaq; de hac re in primis commonefaciendus erat  
Pontifex, deinde quoniam tanta raritas est eorum qui  
uere docent, conquirendi diligenter sunt, qui talem tan-  
tamq; professionẽ suscipere possint. Sed qui id hoc tem-  
pore faciunt, & fecerunt annis superioribus, eos nõ com-  
paratis, sed refugitis: nõ tuemini, sed uinculis coercitis:  
non in ciuitatibus retinetis, sed eijcitis: non à periculis  
eripitis, sed uita & hac luce spoliatis sine causa, summa  
cum iniusticia & crudelitate. Quid enim aliud in Ecce-  
lesijs nostris docetur, quàm omnia scripta & uniuersas ce-  
rimonias

remonias eo conuertendas esse, ut homines instituant  
ad cognoscendum, deprauatam omnium nostrum na-  
turam & uitiosam esse: liberatos nos nece Christi, et per  
eum ueniam atq; salutem comparasse. Calumnia est  
enim quod obicitur, dehortari nos nostra doctrina à  
bene sancteq; agendo, & *ἀταξίας* quandam uastatio-  
nemq; ceremoniarū excitare. Sed dum illa abrogamus,  
quæ cum impietate coniuncta sunt, dum ueras ceremo-  
nias reuocamus, dum ueterem illam docendi rationem  
reportamus, cruces interea nobis, & flammæ, cæteraq;  
crudelissima supplicia proponuntur. Non tam imma-  
nes olim Græci fuerunt, in mactandis ante sacraria Deo-  
rum suorum uicis hominibus, quàm uos uestris crucia-  
mentis estis.

Hæc immanitas suppliciorum facit, ut uideamus nõ  
posse fieri, ut de nostris uere iudicetis. Et quanquã post  
tot tantaq; scripta deberent esse explorata uobis no-  
stra erga religionem studia, tamen etiamsi falsam de  
nobis opinionem habeatis, de Synodo cogitare oport-  
tebat, sed tali, ad quam uiri pij conuocentur, de quorū  
uita & moribus & doctrina præclara testimonia extant:  
& cum suspicio omnis crudelitatis & uiolentæ potent-  
iæ abesse debeat, decebat eiusmodi locum deligere,  
ad quẽ omnes ad libere sentiendum conuenire possint,  
illos uero inde abarcere, quos ob uitam flagitiosam, &  
ignorationem sacrorum scriptorum & Simoniam ipsæ  
leges ad religiosas curationes non admittunt. Nam si  
in quotidianis negocijs ferri nõ debent, nullus eis in so-  
lenni conuentu locus potest relinqui, nostris præsertim  
temporibus, quibus nihil tranquillum, nihil integrum  
est in Ecclesia. Per Germaniam in maximo numero

Episcoporum nullus est, qui, si Canonum autoritas resti-  
tuta esset, locum suum tueri possit. In Gallia quoque pauci  
sunt, sed tamen illa foeliciores est quam Germania. De Italia nihil  
affirmare possum. Anglia sola est quae exemplo esse possit.

Sed permulti apud uos sunt, qui uociferantur, ne-  
minem in sacro coetu sententiam dicere posse, praeter  
eos qui in Ecclesia nostris moribus nomen dignitas  
remque essent consecuti, quorum clamores si comprobentur,  
si nulla ratio uitae atque eruditionis habeatur, quae laus  
poterit esse Conciliorum. Hic igitur hortandus a uobis  
Pontifex est, ut a Regibus impetret, & ex omnibus Chri-  
stiani nominis gentibus atque nationibus uiros honestis-  
simos, doctissimos, sanctissimos conuocet, ut pristina  
autoritas Conciliorum aliquando bene laudateque delin-  
berando recuperetur, quam superiores conuentus sume-  
mo cum dedecore amiserunt. Nam illud etiam cauend-  
um est, ne illorum sententia ualeat, qui statuunt Luthe-  
ranos propterea audiendos non esse, quod decreta Con-  
ciliorum uiolarint. Nemo enim adhuc illud potuit pu-  
blice probare, & ea demum Concilia ualere debent, quae  
nihil quod Apostolorum scriptis contrarium sit, decere-  
nunt. Testes sunt libri illorum quos uocatis Lutherana-  
nos, nihil eos contra Christi gloriam, & Apostolorum  
instituta, & ueterum Conciliorum rationem, quae canon-  
posteris esse debebat, scripserunt. Tollantur hic insignes  
& pulchri tituli, recedant male comparati honores, lo-  
cum nullum habeant fraudes, sed uitae integritas ualeat,  
doctrina sana spectetur, & studium uerum adhibeatur,  
si florentem Ecclesiam uidere optamus, et gregem Chri-  
sti ualentem, copiosumque retinere uolumus. Ad hanc rem  
maxima uos adiumenta adferre potestis, ex eaque re ali-  
quando

quando uerum fructū prudentiæ capere: nihil uobis ad  
summos atq; sanctissimos honores deerit, si uestra uir-  
tute atq; industria bene beateq; uiuamus. Quæ enim ui-  
ta esse potest in hac uastatione religionis, & in hoc cere-  
moniarū contaminato usu, in tantis tamq; pestiferis of-  
fensionibus atq; discordijs. Hic ego rursus tuam Contra-  
rene singularem doctrinam imploro, & te Federice So-  
lernitane, per illam recusatam amplissimā dignitatem,  
quam quoniam semel nō admisisti, maiori es dignus,  
obsecro, & te Sadolete per eas laudes, quas ex studijs  
consecutus es, uosq; quibus tanta deliberatio commen-  
data est, oro atq; obtestor, ut per uos instaurentur uete-  
ris disciplinæ fundamenta, ut restituantur doctrina, ut ue-  
rustæ canones ualeant, ut consuetudo deprauata & per-  
uersa ceremoniarum emendetur.

Hæc uobis occasio neq; remittenda neq; prætermitten-  
da est, si cupidi ac studiosi religionis uideri uultis. Nam  
quod uos metuitis uanum est, non posse inter nos con-  
uenire, neq; ullam colloctionem ad concordia profusa-  
turam, propter inueteratas hominū uoculas, tolli à no-  
bis ceremonias, neq; quicq; uobis cōcedere posse, quod  
cumq; post Apostolorū institutionem auctum esset. Pri-  
mum enim quod de ceremonijs dicitur, mentitū & fal-  
sum esse dicimus, & re ipsa comprobamus. Nam cum  
tria genera sint ceremoniarū, unum quod necessarium  
est, summo studio confirmamus, alterum quod falsum  
impiumq; est, non ferimus: tertio, quod in medio posi-  
tum est, moderationem adiungendā sentimus. Si enim  
aliqua est *εὐταξία*, quam Paulus ad conseruandam con-  
firmandamq; eam fidem, quam Deo Christoq; adhi-  
bendam & tribuendam præcipit, eam necesse est in ne-  
cessarijs

cessarijs ac cōmoderatis esse positā. Qui uero falsas &  
imitatione simulatas, atq; impias tuentur, aut quod ue-  
ritas requirit, non intelligunt, aut propter priuatas com-  
moditates, aut per negligentiam, id quod necessarium  
est, nolunt corrigi. Quoniā hoc discrimen non animad-  
uertis Sadolete, criminose & suspiciose obijcis, abijciā  
nobis gradus ordinum, & cœtus templorū, & genuum  
flexiones, & in templis Symphonias & thuribula, eue-  
ti etiam Ecclesiam catholicā, ut sublata uestra tandem  
authoritate nullum nephas nobis aut in scelere, aut in li-  
bidine esset. Quæcunq; ceremoniæ si non usq; quæq; ac  
quocunq; modo religioni cōsentiant, cōcedimus, imō  
illud etiam permittimus, ut quodcunq; religionem nō  
uiciat, publico consensui relinquamus. Non enim ob-  
has ineptias, uestram potentiam refugimus, quanquā  
uelim Sadolete ostendi abs te, quibus in concilijs unq;  
de illis aris, & igni, & uestitu precioso, de quibus scri-  
bis, usq; est agitur.

De festis diebus. Sabbatius Iudæus rixas quasdam &  
turbas fecit, & de eadem re inter Polycratem atq; Visio-  
rem fuit contentio, sed scis tu ab Irinæo hanc discordiā  
improbatam esse, propterea quod festorum dierum &  
ieiuniorū diuersitas, religionis & Christianæ fidei con-  
sociationem non uiolat. Quid in literis ad Ianuariū Au-  
gustinus agit: nōne idem quod nos flagitamus, modes-  
tationem ceremoniarum requirit, nonne onera illa Iu-  
daicis institutis grauiora deplorat. Quid iam faceret, cū  
omnia libidini & ambitioni & auaritiæ parent?  
Quid de his ineptijs Esaias, quid Ieremias, quid Amos  
pronunciant? Esaias has ceremonias, atq; hanc consue-  
tudinum deprauationē, & uanitatem, & imbecillitatē  
post

post Iudeorum uastationē futurā prouidit, & diserte ex-  
plicat: nos ea quasi à nobis lecta nō sint, dissimulamus.

Neq; hic uideo quid nobis obijcere possitis præter  
canonum & Ecclesię authoritatem, quam nos saluam  
ualentemq; uolumus. Sed illud perpetuū in legibus ma-  
nere debet, ut sacerdotes bene sancteq; uiuant, recte do-  
ceant, presentes ipsi coram adsint Ecclesiarū administra-  
tioni, eijciantur Simoniaci, neq; ei cōmittatur Ecclesię  
curatio, quem curia distrahit, quem auocāt uenationes.  
Quamdiu hæc cōceduntur, quamdiu impunitatem &  
licentiam habēt, quomodo religio retineri, quomodo  
cerimoniarum usus à contagione remoueri potest? Mi-  
nima enim parte deprauata, nō possunt ceteræ sanę per-  
sistere. At uos morbos quos uestigatis, assignare nō uul-  
tis, neq; uiciosas partes curari sinitis, & pluris thuribulo-  
rum fumos, & ceruicum inclinationes, & uestium ap-  
paratum, quam scientiam religionis, & Dei metum, cul-  
tumq; ueterem facitis, cū hæc necessaria sint, illa uero ad  
salutem nihil conducant. Essent tamen hæc, quoquo-  
modo fieri possit, ferēda, sed illa dissimulari neq; defen-  
di possunt, pollutum Eucharistię & fixarum ceremoni-  
arum usum non agnoscere, ueniam dari impudicę atq;  
impurę monachorum & sacerdotum uitæ, & qui eam  
emendare conantur exturbare, & indignos sanctorum  
hominum consortione iudicare. De hac peruersitate in-  
dicioꝝ solliciti sumus & angimur, quæcunq; salua religi-  
one manere possunt, ea uobis concedimus, duntaxat il-  
lud efficit, ut ea instaurentur, sine quibus neq; Ecclesię  
dignitas, neq; Christiani nominis authoritas poterit  
consistere. Venio nunc ad alterum quod nobis ad coe-  
undam



undam concordiam obstare uiderur. Querimini enim  
nimium nos duros & barbaros esse, & moliri euersio-  
nem omnis ditionis, & profligationem facultatum Ecc-  
clesiasticarum. Hoc ferri non posse, inueteratā iam eam  
esse consuetudinem, nobiles multos, maximasq; fami-  
lias honorifice auctas esse, à quibus sine maximis offensa-  
tionibus, & summis periculis tantæ cōmoditates auferri  
non possunt. Si in hoc summa difficultas est, liberati  
tandem maximis molestijs cōiungemur. Nam cum in  
Ecclesia tria uersentur hominum genera qui eam guber-  
nent, unum qui idonei sunt ad docendum, alterum ad  
ditionem atq; opes tutandas, tertium quod tameritū-  
trumq; sæpenumero consequatur, ad neutrum tamen  
aptum habet ingenium, si hoc postremum reijci patie-  
mini, & altera illa duo distingui sinetis, spero deleri pos-  
se omnem discordiarum memoriam, id quod in uestro  
consilio promittitis. Requiritis enim administratorū do-  
ctrinam & sanctimoniā. Date tales qui id uere possunt,  
ut & doctrina, & uitæ innocentia, populo præeant, &  
eos ab illis qui rem pecuniariam & Respu. gubernant,  
discriminate, sperabimus recte desiniri atq; temperari  
posse simultatū moderationem. Non deerunt, ne quia-  
dem maximarum familiarum uiri, quos pudebit Euan-  
gelij, & inuenientur qui fideliter uolent facultates Ecc-  
clesiasticas conseruare. Tyrannis persuaderi nō potest,  
amari & coli gloriosius esse quam metui. At pudeat esse  
aliquem Christiani nominis, qui opinetur maiorem in  
immani potentia dignitatē positā esse, quam in Euan-  
gelij professione tali, quæ cum sanctimonia uitæ nō pu-  
gnet. Nam quod hæc duo distincta uolumus, moue-  
mur multorum & maximorum uirorum sententijs. Ut  
enim

enim de Augustino & Ambrosio, & de cæteris ueteris Episcopis nihil commemorem, noune Chrysoſtomus in concione illa, quæ ex centum constabat hominum milibus, grauissime queritur, auocari à curatione Ecclesiæ Episcopos, occupationibus rei pecuniariæ. Apostoli etiam Episcoporum & Diaconorum munera distinxerunt, neque discriminata hæc duo essent, nisi diuinitus moniti, prouidissent, fore aliquos aliquando, qui ne quidem definitam rationem essent seruaturi.

Homilia. 86.  
in Mattheum.

Verum dicat fortasse aliquis, multas opes ad Ecclesiæ nobilitatem contulisse, cuius liberalitatis fructum iam posteros capere decebat: Primum neque ab Euangelij promotione, neque pecuniarum & ciuitatum gubernatione excluduntur. Deinde si qui sunt qui neutrum neque uelint, neque possint suscipere, extant leges quæ iubent, ut illorum ratio cum res, cum locus exigit, habeatur, de quorum maiorum erga Ecclesiam benignitate constaret. Postremo cunctæ opes ita dispensandæ sunt, ut ne quis egeat, & ordo quidam moderatioque adhibeatur pro personarum & conditionum uarietate. Quæ ita demum retineri debent, ut ne religio uitietur, ut æquabilis fiat per singulos ordines atque conueniens distributio.

Carere possumus in Ecclesia Christi opibus, doctrina uero si spoliemur, uniuersa necesse est religione destituamur. Itaque de opibus non pugnamus, doctrinam requirimus, ueros ministros desideramus, flagitamus cõuentum liberam, in loco ad libertatem tuto, ad quem uiri docti, pij, sanctique conuocentur: ad quem impuri, & scelerosi, & indocti non admittantur. Hæc si concedantur, & in his adiutores esse uoletis, relinquemus nobilitati, si id studeant: Bona enim Ecclesiastica, illis qui plus

G -- possunt

possunt, non damus, uerum neq; recusamus si petant. Si  
aurū, & opes, atq; Rerum pub. gubernationē ambiunt;  
nullas rixas facimus, non enim hæc nos quærimus, neq;  
his ablatis Ecclesia nulla est, modo doctrina maneat &  
floreat Euangelium. Sacrilegium reprehendendū atq;  
nefarium est, & multę de hoc leges extant: & sacrilegiū  
est, non dispensare facultates illis qui egent: sed qui id  
agunt, peccant, non conscelerati qui destituuntur.  
Sic se res habet, Ecclesiarum hoc tempore maximæ con-  
piuosissimæq; sunt facultates; harum sanctam dispensa-  
tionem requirimus, uerum Doctōribus Euangelij, &  
administris Ecclesiarum eam cōmitti uolumus. Si qui  
præficientur, recte curent, gratulandum utilitatibus  
Ecclesiæ est: sin minus, neq; per potentiam emendari  
potest, dolendum quidem est, at ita ut non angamur,  
neq; diuitias potius quàm Euangelij progressus uideamur  
quærere. Decidamus igitur de doctrina, de Sacra-  
mentis, de disciplina, de cerimonijs, nihil de opibus liti-  
gabimus, quibus carendū potius est, quàm ob eas Chri-  
sti gloriam impediri. Nihil nobis ad summā tranquil-  
litatē deesse uideo, si animorum offensiones tollantur.  
Vos quoniam nostrorum hominum scripta non legis-  
tis, alienari iniquorum sermonibus, creditis uastatio-  
nem rectorum institutorum à nobis excitari. Nos etiā  
quoniā multis exemplis terremur, nō possumus eō ad-  
duci, ut oēm suspensionē deleamus, atq; credamus, uestra  
studia uera esse, & ad iustam Ecclesię emendationē con-  
uersa. Si uobis de nostris cogitationibus atq; curis fides  
fieri possit, & si signa nos aliqua, certa teneremus, uestrę  
diligentię atq; fidei, effemus tandē liberati molestijs, &  
cōmunibus cōsilijs quę optima uiderētur, statueremus.  
Credo

Credo ego uos non ex illis esse, qui per uim sperent  
uestra potentiam tueri, & aduersarios opprimere posse.  
Memini cum Lutherus solus esset, & se uniuerso orbi di  
laniandum proponeret, neminem extitisse in maximis  
offensionibus & summa solitudine, qui potuit uita au  
ferre. Paucis annis ita aucta sunt hæc studia, ut non mul  
tum uestras minas extimescant. Habent clarissimas si  
gnificationes diuine uoluntatis, ut si quid conaturi sitis,  
sperent nullum bellum fortunatū euentū habere posse,  
quod contra illos suscipitur, qui propter religionis stu  
dium in discrimen uocantur. Quamobrem uos dum  
tempus est, cogitate atq; circumspicite: Si ratione agen  
dū sit, nullo negotio nostra causam, modo aliqua sit fut  
ura iudicū æquitas atq; iusticia, defendemus: si ui & at  
mis, primū illud crudele est, Christiani nominis Resp.  
delere: deinde magno cum periculo coniunctum, pro  
pter auctas aduersariae partis uires, ad quas fortasse ma  
gnæfient accessiones, cū crudelitatis atq; uolentē poten  
tiæ signa dabit. Postremo ut illud concedam, posse  
uos aut iniquo iudicio, aut ui ad id peruenire quod cogi  
tatis, tamen in hac crudelitate & iniusticia, & in illo an  
gore conscientie, neq; cum laude, neq; cū uoluptate que  
quidem excusetur, uitam agere possitis. Non talis pote  
rit esse uastatio, ut non fundamēta & radices maneant,  
unde semper succrescent, qui poterunt iudicare. Deinde  
si omnia profligabit, tñ est Deus qui intuetur omnia,  
& iudicare potest: est Christus in cuius ditione & po  
testate nos oēs sumus, qui ut salutis orbis author extitit,  
ita etiam profligatae religionis poterit esse recuperator.  
Hæc ego Contarene non ed dico, quod uestra consi  
lia ad perniciem spectent, sed quod apud uos sunt, quo  
rum sens

tum festentia si ualebunt, plures & maiores sunt in Ec-  
clesia Christi acerbitates orituræ, quàm antehac inde ab  
initio uidimus. De uobis uero sic statuo, esse Deum, qui  
uestra consilia possit gubernare, non deesse uobis do-  
ctrinã, prudentiam, & studium atq; ardorem: posse uos  
prouidere, esse gratum Deo & apud homines propter  
maximas commoditates gloriosum, restituere doctrinã  
nam, constituere qui uelint & possint docere, corrigere  
ceremonias, distinguere ministros, & hisce rebus posse  
reduci ueterem disciplinam, sine qua neq; dignitas lau-  
dabilis, neq; autoritas diuturna, neq; religio florere pos-  
test. Nullus enim honos in fœda gubernatione & uitua-  
peratione uitæ, laudem habet, neq; uoluntaria obtem-  
peratio, neq; præclara uoluntas erga uos esse potest, qui  
officium suum non faciunt. Doceri enim homines &  
adiuari uolunt, hinc enim multorum gratiæ compa-  
rantur, & conciliatur autoritas: cum negliguntur, cum  
officia in magistratu desiderantur, ibi tum omne autori-  
tatis pondus imminuitur, neq; quisquam nisi aut coar-  
ctus, aut adulator, aut leuis & inconsiderans, obserua-  
tiam præstat. Quò fit, ut cum authoritate & ornamen-  
ta tollantur, & impediatur progressus religionis.

Quamobrem præsidium labenti atq; inclinatæ reli-  
gioni ferre, & illos graues, inueteratosq; & desperatos  
morbos, quibus affecta Ecclesia est, & intabescit curate,  
& quoniam multa magnaq; uicia agnoscitis, & plura  
sunt quæ à uobis nõ indicantur, patiamini nostros fun-  
damenta apud suos religionis instaurasse, neq; moram  
& impedimentum operis perfectioni inferre. Quod si  
sunt, quemadmodum esse dicitis, quæ probari non pos-  
sint, agatur conuentus de omnibus rebus rationibusq;  
& sine

& sine fraude & libere dici datur. Depellantur omnes animi affectiones, quæ ueritati obstare possunt, & ad eas ueniamus, quæ noceant nemini, leges non uiolent, retineant æquitatem. Nam quæ potest esse ullius cœtus comprobatio, quæ excusatio, quæ uenia, in quo priuatæ commoditates spectantur, cædium atq; suppliciorum occasiones captantur, uicijs diuerticula dantur. Omnis enim solemnium conciliorum ratio, pro publicis utilitatibus est suscipienda, & uitanda crudelitas, & in curandis morbis fides constantiaq; adhibenda. Itaq; absit cupiditas, repellat crudelitas, faceffat qui uicijs indulget, quibus uero cômunes cômmoditates caræ sunt, & grata est æquitas atq; iusticia, & qui constantia prudentiaq; sunt præditi, conquirantur. Si quæ unq; fuerunt, aut esse possunt tempora, quibus hisce remedijs & horum uirorum industria opus fuit, sunt certe nostra talia, quibus præter inueterata mala, nullæ nisi periculosa & ancipites curationes accommodari possunt. Habent enim nunc uicia datam à tot annorum cõsuetudine defensionem. Sed cum occultatrix sit uiciorum consuetudo, cum barbaries omnia per tantum temporis curriculum occuparit, cum concilia non ad emendationem malorum, sed ad ambitionis fastusq; propugnationem coacta sint, cum aut nullus aut nemo extiterit, qui & uoluit & sine periculo potuit morbos indicare, & adferre remedia, uesstrum iam est, in hac luce ueritatis, in hac potestate quæ nobis à Pontifice facta est, in tot tantisq; acerbitatibus quibus affligimur, & in his discordijs dare salutem, conciliare pacem & concordiam, defendere ab auferentibus calamitatibus orbem, nouas radices ueræ religionis, reuocata ueteri disciplina, agere & propagare. Co-

1835239

gitate supra uos, qui mundum creauit, eundemq; gubernat, spectatorem & iudicem uestrorum consiliorum esse, quem nisi salutaribus cogitationibus atq; consilijs placare nō potestis. Etiam illud considerate esse in hac uita neq; unquam defuturos, qui de uestra uita & moribus uere iudicent. Hi nisi uestroꝝ factorum rationem habeant, non poterunt eam quæ necessaria est, auctoritatem uobis concedere. Valete.

Argentorati tertio Non.

Aprilis.



EX OFFICINA CRATONIS MYLII

ARGENTORATEN. ANNO

M. D. XXXVIII.